

W. IX, 31

X 1374 124

Vf
197

DIATRIBE ZOOLOGICA

LOCUSTAS

&

PORTENTOSAM EARUM NUBEM,

Das

Ungewöhnliche Meuschrecken Meer /

Omnipotentem Exercitium DOMINO secundante

Sub P R Æ S I D I O

V I R I Amplissimi,

M. GEORG: ANDR:

Rollenhaupts /

Professoris in almâ hâc Hieranâ Moralium
Publici,

FALTORIS sui ætatem devenerandi

Publicæ Naturæ Mystarum ἐξέτασις sistit

JOHANN - NICOLAUS Oberländer /

FRANCOHUSANUS,

A. & R.

D. 15. Septembr. 1692.

In anteriori Philosoph: Auditorio

Horis ante meridianis.

ERFORDIÆ, Characteribus GROSCHIANIS.



LOCGISTAS

BRUNNEN

LIBRARY

1850

GEORGE

BRUNNEN

BRUNNEN

BRUNNEN



tis
qua
Do
tur
ner
qui
int
tun
run
con
ad
E
den
qu
tig



PRODROMUS.

Multas in Natura deprehendimus rerum species, longè plures adhuc specierum dotes: illas provide constituit sapientissima Jehovæ manus; has potentissime sive secundum sive supra Naturam nonnumquam applicat omnipotens Naturæ Architectus & Dominus; in illis mirabilis, in his terribilis conspicitur: omnes siquidem opera DEI piè pensculantes venerabundi ejus permanent admiratores & omnes, qui, quod abditum & insolitum à Domino fit, ritè intuentur, sacro quodam horrore afficiuntur & tantum non percelluntur. Nolumus ex priorum temporum historiis populos, qui ex admirandorum talium contutu consternati & velut attoniti facti, repetere; ad animum modo decenter revocemus Prodigia illa & portenta procul dubio divinitus immissa, quæ modernus noster mundus experitur & contremiscit, illaque, quæ anno hujus sæculi 18. nec non 28 & 30. contigerunt, si non superant, certè paria cum ipsis face-

re censentur. Quoties enim hactenus fatalis terra
conquassatio, tota penè Europâ & amplius notabilis
contigit; Quoties hac ipsa elapsa æstate cælum nostris
annis inaudito sæpiusq; iterato contremuit tonitruo,
satisq; diræ grandinis misit Pater, & rubente dextra
sacras jaculatas arces, quis, nisi stipes, non horruit?
Quis nisi cautè Marpesia durior non commotus?
Quis nisi plane Atheus non expavit justissimi Judicis
iram, non timuit acerrimi vindicis pœnam, non refor-
midavit ingruentia mala? Et quid de novis, qui vici-
norum non ita pridem successerunt sedibus, sentien-
dum hospitibus, LOCUSTIS illis insolitis & tantum,
non portentosis, quæ passim in Regionis nostræ cofinia
agmine factò irruerunt, & quæ data porta irrupe-
runt, fortassis & Hæfati cujus præfagæ diviniq; pro-
positi interpretes infausi. Nos impræsentiærum,
missis illis Has disquisitione Zoologica sub calamum
revocare, & ne de hoc inusitato apud nos insecto vel
nihil admittamus veri, vel promiscua hinc indè fin-
gentibus venalem largiamur fidem, Naturæ & Ex-
perientia Historiæ, quoad ejus fieri potest, sinus ex-
cutere statutum habemus. DEUS, qui in Na-
turalibus vel minimis maximus est, cœpto
ex alto benedicat.

CAP. I.

Essentiam Locustarum in genere exhibens.

§. I.

UT ut in enodandis rerum certarum Naturis demonstratio Existentiæ juxta *Euprob. dicitur* Leges præcedere Essentiæ explanationem consuevit; tamen in præfenti materia ductui huic usu alias recepto operosè insistere, laborem penitus inanem putamus. Haud facile enim quisquam ab omni notitia tam alienus existet, ut per legendo historiarum sacrarum aut itinerariorum monumenta Locustas non adverterit, auribus mirabile hoc insectum non perceperit, imo oculis suis Locustas nostris in plagis non usurpaverit; Hinc relictis supervacaneis potius ad Descriptionem deveniendum.

§. 2. Describi autem consuevit Locusta, quod sit Insectum ex ovo generatum, frugibus infestum & vorax, majorem corporis molem in sexu foeminino obtinens, quàm in masculino, medium tenens inter volatile & reptile.

§. 3. Ad planiorem hujus Orationis definitivæ diductionem expendendum venit tum Subjectum tum Prædicatum: Illud est *Locusta*, hoc ceu complexum integra definitione absolvitur. In Vocabuli *Locusta* natales qui inquirunt, Locustas appellari asserunt, quòd loca omnia, quæ insident, veluti ussulant, & omnia frugum fructuumque genera depascunt. Pari modo vocis Græcæ *λιγυρῆς* Etymon pererrantes eam denominari putant *μαρτὶ τὸ τὰς ἀκρὰς τῶν φυτῶν νεμεσθῆναι*, quod summitates plantarum ambedant, sed nimis frivolè, ceu attendenti patet. Germanis audiunt *Heuschrecken* / quòd in foeno saltent, ab antiquo vocabulo *Schriken* h. e. subsilire, item passum facere.

cere. Vid. Martin. Lexicon. Alia, in quibus Philologus se delectare solet, omittimus.

§. 4. Prædicatum Pragmatologiæ faciem exhibet, utpote quod Conceptu communi & proprio absolvitur: Communis est *Insectum*, in hoc enim convenit Locusta cum Ape, formica, Musca &c. Quod autem insectum sit, patet ex eo, quia est animal minus & infirmius certis suis commissuris distinctum, sicut inspicienti statim apparet.

§. 5. Restrigitur autem Conceptus hic communis ceu remotior per quendam proximior, dum Locusta insectum dicitur *ex ovo generatum*. Est enim animalculum oviparum, uti non solum ova à femellis exclusa evincunt, sed & ovarium in iis per experientiam anatomicam conspicuum indubiè condocere potest; siquidem Curiosissimus ille Naturæ Ruspator Schvammerdam Locustarum ova cum integro ovario asservata in suo Gazophylacio esse scribit: Ovarium argenteis filis intertextum (quæ procul dubio arteriæ cum venis) Ova apparere Cornea fusciq; coloris, quæ ipsa à primo primordio, quo albescunt & flavescunt tenuissima pellicula investita penes se conspici asserit *in Hist. Insect. Sect. 4. p. 82*. Hinc ex Coitu foemella certo tempore ova prolifica, ex quibus postmodum Locusta, excludit.

§. 6. Ubi tamen tam circa Coitum, quam circa ovula adhuc notari meretur, videlicet Coitum ab illis non ut in animalibus perfectioribus perfici, sed Locustam foemellam in Coitu aliquid in marem inserere & ita imprægnari tradunt Naturæ Consulti. Exclusa autem ova itidem foemella sua cauda, quâ longè productiori quàm Masculus gaudet, subtus humum perforando tempore Autumni

Autumni deponit, quæ etiam per totam hyemem sub terra recondita manent, donec ingruente Vere & siccitate aeris favente ex istis ovulis Vermiculi (qui nonnullis Nymphæ, vel etiam Attalabi audiunt) sine alis pedibusque emergunt ac sensim ad saltum mox & volatum adolefcunt. Diximus: *Siccitate aeris Verni favente*; Si enim crebriores eo tempore funduntur ab æthere nimbi facilè ovula isthæc perire certum est; hinc etiam madido vere pauciores æstatem Locustas, sicco autem numerosa earundem ostendisse agmina experientia compertum est. Sed ad Conceptum proprium.

§. 7. Sistitur autem conceptus ille certis quibusdam attributis, quæ Locustam extra essentialiter respiciunt eamque conjunctim sumta, à reliquis Insectis & animalibus perfectis discernunt. Primum autem horum est *Infestatio frugum*, vocabulum generalius nonnihil sumendo, prout herbas, frumenta, legumina, varique generis fructus sub ambitu suo complectitur, hæc invadere, corrumpere, depascere, hæc stragem inferre confvevit frugiperda illa Locusta, id quod Colonorum quam multi non solum experientia edocti, sed & præter caput 7. vers. 2. Amos Historiarum monumenta abundè testatum faciunt, quin imò si turmatim in loca certa irruunt, ambedunt, dicente Tacito, quicquid herbidum & frondosum est, sicuti anno ducentesimo trigesimo secundo in agro Bononiensi contigisse relatum accipimus, ubi Vineas depopulatæ sunt Locustæ, ut etiam sine vinis Nuptias celebrare oportuerit Cives. Nocivæ etiam frugibus possunt videri Locustæ ex hoc, quod certa earum species quodvis ex frugibus delibatum pabulum in immunditiem & mucum intra se convertere & vicissim impurissimam materiam

riam super terram & res ex terrâ nascentes spueri & excacare dicatur, quo sic se habente fit, ut non solum præsentibus sed & iis, quas in sequens fortè fundet annus frugibus dispendium exitiumque certissimum parare valeant, dum omnia suis excrementis dicto modo inficiunt, nisi medela quadam fatali discutiatur.

§. 8. Ex dictis facilè dispalescere potest secundum, quod in Conceptu differentiali ponitur, nimirum Voracitas. Quod enim insecti genus integros Campos abrodere, arbores detondere potest, & sic fruges saltim consumere natum, qui id non insectum vorax erit? Non obscurè autem prodit hæc Locustarum Voracitatem triplex, quo gaudent, ventriculus, quem simul cum Omaso in Loculis suis asservare scribit Insectorum Naturæ Consultissimus Schvammerdam l. c.

§. 9. Tertium attributum hujus speciei à peculiari illo, quod in sexu habet, desumptum est, dum Mas minor, fœmella vero major deprehenditur. Quemadmodum enim, ceu ex supra adductis liquet, in Generationis negotio diversum quid à reliquis potissimum animalibus perfectis, (nam cum quibusdam Insectorum speciebus habent commune) obtinent, scil. quod in Coitu fœmina aliquid in Marem inserat, & sic concipiat; ita & hoc singulare Natura iis indulsit, ut sequior sexus quantitate superaret Masculinum. Hinc falsum nonnullorum effatum apparet asserentium, quod nulli inter Locustas mares sint, sed omnes fœminæ, & è contra omnes Scarabæi mares; refutat enim experientia & speciei per Generationem (quæ similis Essentiæ à simili communicationem infert) conservatio.

§. 10. Videri autem Cuidam posset, ac si attributum à pecu-

à peculiarietate, quæ in sexu occurrit, desumptum descriptionem datam ineptam efficeret; siquidem Descriptio omnibus sub descripto contentis accommodanda venit, id quod in hoc deficere videtur, dum dici nullatenus potest de hoc numero Locusta, quod sit major foemella & minor Mas. Sed & (1) Descriptionem omnimode accuratam in Zoologicis ob mentis nostræ conditionem per lapsum summè deperditam, qua etiam in rebus naturalibus miserè caligat, vix posse expectari, sed persæpè propriis etiam & talibus nos oportere contentos esse. (2) Negamus, hanc descriptionem non applicari Locustarum inferioribus tam speciebus quam individuis; Illis quidem immediatè & veluti primario, his vero mediatè, ita tamen, ut individua semper cum discrimine & vindicatione sexus subsumantur.

§. II. Denique dicitur, quod *medium tenet inter Volatile & Reptile*. Notum enim & Tyronibus Physices, Brutum ab Epitomatoribus Physicis dispeSCI in Volatile, Natatile, Gressile, & Reptile, divisione desumpta à motu locali corporis Brutorum totius vario, quando nempe totum animal vel volando vel natando, vel reptando & convolvendo locum suum mutat. Videtur hæc eadem divisio fundari *Gen. 1. 20. 21. 24. 25. 1. Reg. 4. 33.* Cum autem Locusta regulariter, & si est in loco suo naturali non præcisè perreptando nec simpliciter volando motum localem promoveat, sed potius saliendo ita ut saltus ille tam pedibus quàm alis adjuvetur & ab utroque perficiatur, hinc insectum inter Volatile & Reptile medium appellari consuevit. In Continuo saltu est, non simpliciter ingrediens neque volans sed instar pulicis saliens, inquit Sperling. in *Additament. Zoolog. c. 7.* juxta

B

autem

autem hic, quantum ad Medium, notetur, quod Philosophi
illud distinguere ament in Medium *positivum* & *negativum*;
Illud, quod utriusque extremi particeps est; unde & Medi-
um participationis audit, tale reperitur in Colore flavo, fu-
sco, qui intermedii dicuntur. Hoc vero, quod utriusque ex-
tremi naturam respuit, tale est virtus respectu vitiorum.
Quando itaq; Locusta dicitur nobis medium tenere inter
volatile & Reptile sc. respectu nifus ad movendum, haud
difficiliter constat, hic loci medium indigitari positivum.
Si autem solliciti esse velimus, cur motum suum tam pe-
dibus quam alis prosequatur, adeoque medium teneat
inter reptile & volatile, causa videretur esse tam in alis
quam in pediculis; Utraque enim deprehenduntur in-
æqualia: Pedes esse inæquales *av. Via* satis evincit; de
alis itidem Curiosi, qui experientia id compertum ha-
bent, testantur, siquidem Schwammerdam l. c. scri-
bit: *Afferamus alas (Locustarum) quas in medio astu sti-*
timus, ita ut altera pars versus exteriora sit explicata,
altera versus originem suis Plicis contortuplicata requiescat;
Cum itaque per inæquales illos pediculos eorumque an-
tennas sat tenues vix sursum se movere, nec propter in-
æqualem suam dispositionem alæ de se fragiles solæ to-
tum corpusculum valeant elevare, (de continuato enim
volatu aliter est sentiendum hinc unum alterius subsidia-
riam efflagitat operam, ut quod neutrum solitariè præ-
stare potuerit, ambo perficiant conjunctim.

§. 12. Reliqua adjuncta ab aliis recensere solita, scil.
quod sint animalia provida, quia sine Rege volare dicuntur
Prov. 30. numerosa tam ratione multiplicationis, quam et-
iam consociationis, turmatim enim solent congregari & sic
volare, vid. ib. *Prov. 30.* Celeriora, meticulosa &c. luben-
tes

tes præterimus. Quæ vero hucusque de Locustarum Adjunctis adduximus deque his differuimus, ea non aliter Conceptum differentialem ingredi, nisi quatenus simul & conjunctim sumuntur, nemo non videt. Pergimus ad

CAP. II.

Locustarum Diversitatem exhibens.

§. I.

Cum forma hujus Insecti à certis attributis sit desumpta, etiam eius diversitas ratione certorum attributorum ipsis Physicis fuit dijudicata. Laudatus Schvammerdamus sedecim, quas asservavit, recenset species, nimirum quinque majores, minores sex, medias quinque; Sed qua in re præcipuè illa diversitas dictarum specierum consistat, & cui fundamento innitatur, ne verbulo attingit, nisi quòd quasdam Cœruleas, quasdam virescentes, quasdam purpureas ostentare alas asserat. Nos damus hanc diversitatis delineationem, ut primo distinguamus inter distinctionem Nominis & rei, hucque referamus eam, qua Locusta supponitur vel physicè vel Mysticè; de illa ceu propriè dicta, agit scientia Naturalis, utpote, quæ certa corporis naturalis species est; De hac vero agit Theologus Johannes *Apocal. 9.* Siquidem illæ Locustæ Apocalypticæ non veri nominis Locustæ sunt, sed saltem Ecclesiæ purorumque fidei salvificæ dogmatum turbatores & obscuratores sub effigie Locustarum in visione Johanni repræsentatur; quemadmodum enim Locustas potissimum in regionibus Australibus per sæpè tanto agmine congregantur, ut turmatim sic volitantes Solem, teste Plinio, obumbrent;

Ita & fumus falſorum dogmatum auram Eccleſi ſticitam
ipſumque juſtitiae Solem obſcuſcare, plus quam dici po-
teſt, notum eſt. Locuſtae namque Inſecta ex fumo tali
non oriuntur, Apocalypſticae vero ex fumo dicuntur or-
tae: Illae Locuſtae non habent Regem *Prov. 30. 29.* hae vero
habent Regem ſc. Angelum Abyſſi, cui nomen Abbad-
don &c. Pluribus vid. B. Hoë *in Comment. ad b. l. p. 295.*
& ſeqq.

§. 2. Deinde quod ad rem ipſam, ratione certo-
rum, uti dictum, adjunctorum v. g. functionum, par-
tium &c. Locuſtarum diverſitas adduci conſuevit, & qui-
dem (1) *ratione volatus*, quaedam difficilius volant, quae-
dam expeditius. Cum enim alarum in Locuſtis diſpoſi-
tio & numerus ſoleat variare, non poteſt non etiam vo-
latus ipſe exinde vel difficilior vel expeditior exiſtere.
(2) *Ratione Cantus*, quaedam canunt, quaedam prorsus
ſunt mutae, & quae canunt, eae vel interdum tantum vel
noctu tantum canunt, referente Franz. *Tract. 2. Cap. X.*
Quomodo autem Cantillatio ſeu rectius ſonitus ab hiſce
inſectis perficiatur, res videtur eſſe nonnihil intricata.
Prae caeteris nobis arridet ſententia Plinii ſonum ab Oc-
cipitio derivantis, dum ſcribit: *Vox Locuſtarum proficiſci
ab Occipitio videtur: Eo loco in Commiſſura ſcapularum ha-
bere quaſi dentes putantur eosque inter ſe collidendo exci-
tare ſtridorem, maximè circa duo æquinoctia.* Hiſt. nat.
lib. XI. c. 29. modo ne excludantur pediculi & alae, qui-
bus motitatis & inter ſe attritis itidem, potiffimum inter
volandum, ſtrepitus ſonorus excitatur, id quod non adeo
obſcure innuere videtur S. Johannes de Locuſtis ſibi in vi-
ſione exhibitis ſcribens: *Vox alarum earum ſicut vox
curruum, equis multis currentibus ad bellum l. c.* Quod
autem

autem non omnes cantu querulo rumpant arbutta (ajente Virgilio) vel ex Carentia dentium in Commissura vel alio impedimento naturali partiumque per indispositionem incapacitate fieri videtur. Utrum autem soli masculi cantillent, non vero foemellæ, sicut experientia sua sibi constare affirmat citatus Schvammerdam, Autoris fidei aliorumque observationibus relinquimus. (3) *Ratione damni* quædam nocent, dum totos agros depascunt & omnia viridia depopulantur, quædam vero non ita detrimentum parant, sed certis vilioribus herbis devorandis, quin imò pruina & rore contentæ sunt. (4) *Ratione usus*, quædam ad esum immediatè profunt hominibus, ut ex dicendis constabit, quædam vero non (5) *ratione partium*; Quædam sunt caudatæ, quædam sine cauda; (6) quædam bipennes seu binis alis instructæ, quædam quadripennes. (7) Aliæ piloso sunt capite, aliæ glabro. (8) *Ratione quantitatis* quædam reperiuntur majoris, quædam minoris sortis; Hinc Plin. l. c. de Locustis inquit: *Namque & grandiores cernuntur & tanto volant pennarum stridore*, ut aliæ alites credantur solemque obumbrant, sollicitè suspectantibus populis, ne suas operiant terras; Et Illustris LUDOLFUS in πολυμειθεσιων suo ad Hist. Æthiop. Comment. l. i. c. 14. ex Petro Kirstenio ad Cap. 3. Matth. sequentia refert: *Narravit Locustas esse ejusdem speciei cum nostris, sed majores*; nam pro Regionum diversitate variant. In Indiis enim (ut ex Plinio patet) sunt ingentis magnitudinis: has autem circa jordanem esse mediocris magnitudinis, instar avium nostrarum montanarum, quas Sylvestres vocare solemus. An vero hæ recensitæ diversitates Locustas specie accuratè loquendo distinctas arguant vix quisquam ut credat, adduci poterit.

§. 3. Cum itaque diversæ adeo deprehendantur Locustæ, nunc, ut propius ad institutum nostrum accedamus, cuiam censui annumerandæ veniant recens his oris appellentes hospites dispiciendum. Dicendum autem, quod pertineant ad Locustas expeditiis volantes. Quamvis enim Locustam & alis & pediculis suum promovere motum superius dictum est, hoc tamen non obstante volatus earum continuatus pro re nata difficilior vel etiam expeditior vocari potest. Harum autem volatum expeditiorem esse evincunt quaternæ, quibus instructæ sunt, alæ exque naturæ membranacæ, ut adeo conduplicatis hisce instrumentis actiones ipsas, beneficio horum instrumentorum perfici solitas, eò promptiores edant, quorsum etiam facere quid fortasse potest hoc, quod alæ istæ ad finem Corporis promineant, & corpore longiores sint. Observatum autem est ab territorii incolis circa motus earum Conditionem, eundem non rectilineum fuisse sed volatum obliquum & veluti transverso non nihil corpore peregisse has Locustas. Majori vero admiratione dignum videtur quod itidem curiosi agrorum pratorumque possessores in hocce insecto animadverterunt & fide dignissimi edixerunt, nimirum semper turmatim irruere in terras & velut ordinem disciplinamque militarem edoctas considerare Locustas, dum vero ab itum meditantur & Castorum quasi solutionem parant, earum paucas cœlum versus elevari certumque alis, columbarum ad instar, strepitum cieri & sic universum Locustarum examen ex templo sursum ferri concinnoque ordine avolare, tanto aspectu ut aëreum illud spatium majusculis nivium floccis imprægnatum vel crassiori quadam nebula aut fumo obductum appareret, parimodo perbellam hanc iustitiam obser-

observare, & ex coetu quasdam se subtus separando signum veluti edere, ad quod totum agmen quasi ex composito descenderet & uno impetu humum occuparet, ut fermè ad hæc Nostrates accommodare quis posset, quod de Locustis suo tempore in Palæstinam ingruentibus Hieronymus super Cap. 2. Joël (citante Franzio l. c.) asserit, quæ agmine facto venerunt, & aerem, qui inter cœlum & terram est, occupaverunt tanto ordine ex dispositione jubentis DEI volitarunt, ut instar tessularum, quæ in pavimentis manu artificis collocatæ sunt, suum locum tenerent, & ne puncto quidem, ut ita dicam, vel ungue transverso declinarent ad alteram.

§. 4. Porro Nostrates Locustas non ad mutas sed ad Sonoras, quantum quidem comperire licuit, referendas esse certum est, tum quod instrumenta ad sonum efformandum ritè disposita, sc. dentes & pediculi, eas non deficient, tum quod apprimè sonoras & inter sedendum & inter volandum incolæ eas cognoverunt; Siquidem amicus, accola Salanus, ante paucos dies hac transiens Locustas ibidem locorum Catervatim volitantes totum aëra fusurro quodam adimplere & sonitu quadantenus rauco perstrepere, confidentes verò, imprimis si manibus immitius nennihil contrectantur, Sibilum quendam & Gryllorum proximè accedentem sonum edere propalàm & sincerè edixit. His Gemina quoad sonum in Locustis suo Commentario Celeberrimus LUDOLFUS ex Histor. Secund. Legat. Sinens. p. 175. qui videatur.

§. 5. Si ulterius progredi & ad *nocentes* ut & *non nocentes* pedem movere libet, nullo negotio, cuiam censui *nostrates* sint addicendi judicare erit, sc. easdem inter nocentes collocandas omnes affirmant advena, qui-
vis

vis edicunt *ἀνόπται*, universi loquuntur Campi & Syl-
ve, singuli, quos pervolitarunt, tractus uno veluti ore
confirmant. Quemadmodum enim de voracitate hujus
insecti in genere spectati ex antegressis constat, & expe-
rientia compluribus exemplis passim historiographis con-
signatis de eadem testari habet; ita de hujatum in spe-
cie Locustarum diritate eò certiores reddimur, quò ac-
curatiùs Capitis earum conformationem intuemur; quip-
pè non solum os magnum iis concessit sed & binis latera-
libus maxillis, seu rectius, dentibus majusculis satque
duris subcinereoque colore, quantum quidem observare
licuit, præditis eas instruxit natura & velut in frugum
herbarumque depastionem armavit, ut parum penè ab-
sit, quin hæc nostrates in illius sortis Locustis ponere
possimus, quarum mentionem facit Plinius deque iis re-
fert, quòd dentibus suis omnia rodant, quandoque etiam
forestectorum *Hist. nat. l. XI. c. 29.* Si autem sollicitius
quodammodo quærere volumus, quomodo & ubi suis,
ad quos migravit, hospitibus nocuerit pestilens hoc in-
sectum, tunc damnum hinc indè illatum non videtur
ubique par esse; In Bohemia, protinusque adjacentibus
ditionibus ceu ex relatione accipimus, nimium quantum
ævierunt, omnia viridia abroserunt & quicquid herba-
rum frugumque contingere datum est, vastaverunt. Tra-
ctus è contra nobis viciniore & accolæ tam cis-quam
Trans Salani, utpote ad quos tardius accesserunt, levius
& tolerabilius dicuntur experti detrimentum, non tamen
planè nullum est; Siquidem post avenam etiam canna-
bim, milium, vicias, quid quod stipulas ipsas invasisse
contactuque suo & arrosione adussisse relatum accipimus.
En igitur Exercitum DEI (dicente Joël) Locustas, quem
ut

uti olim contra Ægyptum sic adversus quamvis terram
adhuc hodiè armatum & ad nutum paratissimum tenet.
Non enim Leonibus semper & ursis, inquit Sperlingius,
Zool. l. 6. c. 7. sed Locustis etiam aliisque abjectissimis a-
nimalibus hominum punit improbitatem Deus. Sed hoc
in animalculis nostris miraberis, quòd tùm brassicæ, rapis
aliisque herbis & bulbis edulibus in agris Salanis peper-
cerint, vites arboresque sativas intactas reliquerint, tùm
quod dulce ibidem locorum gramen impune dimiserint,
è contra verò dumeta passim impetuosè invaserint, subari-
dos cespites, juncos & id vile genus alia insatiabili pastu
detonderint. Hæc certè tanta sunt, quæ non ex Physices
nostræ recessibus suam discussionem, sed ex Summi Numi-
nis imperscrutabili nutu potentissimaque directione su-
am decisionem expectare debent. Hujus namque juben-
tis Dei dispositio est, quòd tanta Locustarum nubes ditio-
nibus nostris sit immissa: hujus infinita, qua sanctissimam
temperare voluit Justitiam, gratia est, quod Cerere fermè
succisa & frumentis nobilioribus maximam partem recon-
ditis nostris appulerint oris; Hujus sapientissima potentia
est, quod digniores fruges potioraque esculenta ab earum
depopulatione immunia sint præstita, cum interim viliora
cessarint ipsis in prædam.

§. 6. Ut ut autem per hæcenus dicta hoc insectum,
miseris mortalibus satis sit detrimentosum, non tamen
penitus nullus ejus est, quem humano generi præstare va-
let, usus, tàm immediatè, dum alimento, tanquam victus
corpore hominis non planè indignus, esse ab eoque
comedi potest, uti inferius capite subsequè constabit;
quàm mediatè, dum animantia certa, ceu sunt sues, ca-
nes, easdem manducare & hisce Locustis ad multam sagi-
nationem pasci consueverunt.

C

§. 7.

§. 7. Si diversitatem Locustarum ratione partium attendimus, nostrates ad illas spectant, quæ quadripennes sunt, sed sine cauda. Quolibet latere binæ conspiciuntur alæ se mutuo contingentes & contegentes, longitudine corpus superantes, argenteo vel etiam luteo colore ut plurimum præditæ & compluribus punctulis liturisque nigricantibus decorè depictis, quæ num literarum lingvæ exoticæ ductus certosque characteres exprimant ex postea subjungendis videbimus. Peculiare verò à vulgaribus istis Locustis hæ nostræ habent hoc, quod careant cauda, & saltim ibidem locorum tres prominuli aculei, sed re-tusi sint conspicui; reliquas partes, nimirum pectus, caput, pediculos, antennulas &c. Si à colore (qui plerunque vel luteus vel canus) discesseris, communes habent cum vulgaribus Locustis, nisi quòd caput habeant hirsutum, pectusque villosum & firmiori quasi lorica armatum, cætera majores & robustiores vulgaribus sunt, non tamen sunt maximæ siquidem Locustæ Indicæ §. 3. ex Plinio adductæ quantitate nostrates longè antecellunt, ternum namq; pedum magnitudinis esse & cruribus suis ferrarum usum subire itidem ex Plinio refert B. Franzius l.c. Hinc magnitudinis ratione *mediis* annumerandæ veniunt hospites illæ Locustæ, utpotè quæ eâ ad digiti nostri quantitatem proximè accedunt.

CAP. III.

QUESTIONES sistens

I.

Unde venerint hæ Locustæ?

Duplicem hæc Quæstio occasione vocabuli *Unde* admittit sensum; *Unde* enim accipi potest vel *Causa-liter,*

liter, originem & causam, à qua Locustæ dependent deno-
tans, vel *Localiter*, terminum & locum à quo & per quem
ad nos latae fuerunt, innuens. Priorem si attendimus, iti-
dem bina inibi reperiri membra patet, & quidem propter
geminam dependentiam, quæ tum *quoad essentiam* tum
quoad conglomeratam congregationem & ad *certas terra pla-*
gas ablegationem intelligi potest. Quibus suppositis re-
spondemus ad primum prioris sensus membrum (quod
Questionem sic exhibet : *Unde Locustæ quoad essentiam*
sic essentialiter dependent?) Quod nostrates Locustæ à su-
is genitoribus proximè dependeant, à quibus per genera-
tionem suam acceperunt essentiam; ut enim singulariter
à DEO creatas eas esse dicamus nulla svadet ratio; & quæ
necessitas urget è via generationis immani saltu in viam
creationis ruere? Ad secundum prioris sensus membrum
(quod hoc : *Unde dependent hæc Locustæ ratione ordinatæ*
congregationis & ad hos tractus ablegationis h. e. unde Lo-
custæ habent, quod sic catervatim & ordinatè volitent, &
præcisè hos, non verò alios terrarum tractus petant?)
paulò aliter respondendum nobis erit, nimirum hoc Lo-
custarum naturæ sibi relictæ & secundum instinctum ordi-
narium agenti nullatenus posse adscribi, aliàs necessario
& semper sic agerent, quod tamen fieri non videmus;
quin potius dicendum, Locustas nostras, quantum ad hunc
modum, à DEO venire, qui in earum naturam operari
eamque modo extraordinario & supernaturali dirigere &
pro sua potentia determinare censendus est, siquidem ex
Scripturæ Sacræ lumine clarè liquet, hæc & similia DEO
(non ut causæ universali saltem) adscribi, qui ad Pharao-
nem per Mosem dicebat: Ecce ego inducam cras Locustas
in fines tuos, quæ operient superficiem terræ, ne ejus

quicquam appareat, sed comedatur quicquid residuum fuit
grandini, corrodent etiam omnia ligna quæ germinant in
agris. *Exod. X.* Qui itidem Locustas populi Israelitici a-
gris in pœnam mittendis graviter comminatus est inqvi-
ens: Sementem multam conjicies in terram & modicum
congregabis quia Locustæ devorabunt omnia *Deut. 28,*
v. 38. Amos ipse etiam Deum fictorem Locustarum fœ-
num & herbas depascentium appellavit, ut ex supra alle-
gato Capite 7. constat. Imò ex lumine rationis saniores
Gentiles in his Locustarum & similibus animalculorum
agminibus operationibusque aliquid naturæ conditionem
supergradiens, & τὸ θεῖον animadvertisse comperimus, un-
de & Plinius ejusmodi Locustarum nubem Deorum pestem
nec non iram vocitare nullus dubitavit *l. XI. Hist.*
Nat. c. 29. Posteriores sensum (Quæstionem de loco, un-
de appulerint, exhibentem) quod attinet, distingvendum
videtur inter πρῶτον vel terminum Generalem & Specialem.
Locum & terminum Specialem à quo volatus & tenden-
tiæ suæ initium sumserint & per quos præcisè locos ad no-
stros usque tractus latæ fuerint, pernosse nondum conti-
git, nisi quod referentibus Novellis ex Bohemia per distri-
ctum Egranum & Plaviensem 17. August. oris Salanis appu-
lerint & sequentibus diebus subindè locos modò sinistram
modò dextram versùs mutaverint, usque dum 21. ejusdem
Mensis ditionem Vinariensem invaserint, ubi etiamnum
hospitantur & Castrorum in Erfurtensium districtu loca-
tionem meditari dicuntur, quam tamen ingruens pede-
dentim frigus DEI clementia irritam fore confidimus.
Terminum verò à quo Generalem possumus dicere pla-
gam mundi australem, tum quod ibidem locorum ob aëris
calidioris beneficium numerosius multiplicari & com-
modius

modius vitam protrahere possunt, tum quod ventorum
australiū (sensu antiquissimis temporibus usitato, quo
ventu in universum dividebantur in Boreales & Australes)
ope talismodi Locustarum Examen persapè ad certos lo-
cos adveclum esse passim in historia quā sacra qvā profa-
na legimus. Ita enim Diodorus Siculus *Lib. 2. p. 163.*
*ἐπειδὴ ὅταν τῶν πρὸ χειμῶνων ἀνεμῶν πνεύτων πρὸς φέρονται τὰ νέ-
φη τῶν ἀκρίδων;* Deinde cur modò dictis ventis (nimirum Ze-
phyro & Africo) flantibus nubes Locustarum afferuntur &c.
Item Sacer Historiographus Moses, quando de locali Lo-
custarum Ægyptum infestantium origine differit, easdem
ex plagis australibus adventasse asserit inquit: Dominus
induxit Eurus toto die illo & tota nocte, & manè factò
Eurus ille levavit Locustas *Exod. X. 13.* Sed satis de earum
adventu, devenimus ad

QVÆSTIONEM II.

Quid significent aut portendant nostræ Locustæ?

IN hac Quæstione discutienda circumspectè nobis proce-
dendum erit, ne vel ignorantia vel temeritatis notam
contrahamus; hinc doctrinæ gratia distingvere placet in-
ter determinationem eventus infallibilem seu apodicti-
cam, & inter indicationem ejus saltem probabilem.
Quantum ad prius, tunc infallibiliter quid determinare
& ex harum Locustarum præsentia futurorum necessario
sic expectandorum Prophetam agere velle stulta temeri-
tas est, & è contra erudita ignorantia dicere cum Augu-
stino distingvere nescio, respondere non valeo, non suffi-
cio. Nihilominus tamen planè talia non curare aut suspi-
cere, non admirari, non iram Dei metüere, non vitam su-
am emendare, non culpam suam apud Deum deprecari,

uti Christiani hominis non est, ita nec gentilis aut cuius-
cunque barbaræ nationis unquam fuit. Ad posterius ve-
rò quod est, ex similibus comparatione & effectuum ex
causis naturalibus deductione, hancce Locustarum nubem
non solum *iram Dei* (hoc enim ex Sacris & sic infallibili-
ter certum est) sed etiam hoc vel illud in specie malum
portendere, quin dicamus & ratione probabili concluda-
mus nihil impedit. Historiarum enim monumenta si per-
volvimus, similia Locustarum ingruentia examina plerum-
que vel diræ famis vel pestiferæ luis vel etiam fatalis belli
præsaga fuisse comperimus. Sic immensam illam Locu-
starum ex Thracia elapsis viginti quatuor annis ultra mil-
lesimum quingentesimum in Poloniam, Hungariam &
Germaniæ ultra limites irruentem nubem nonnulli tum
temporis ingentis futuri Turcarum Exercitus prodigia &
portenta divinarunt, quos etiam præsagium non fefellit,
nam paucis præterlabentibus post Viennæ obsidio Hunga-
riæ devastatio insecuta est: parili modo anno 1545. bellum
Protestantium significatum fuisse magnâ Locustarum ad-
ventantium copiâ scribit Tarnovius *in Comment. ad Cap. 1.*
Joël. Et si Locustarum internecinam voracitatem ponde-
ramus, quæ omnia terræ germina radicitus devastant, non-
ne subsequens tempus suis frugibus privant, adeoque an-
nonæ ingravescentiam inducunt? Et si verum est, quod
Dan. Moiler, *in Medit. de Insect. Hung. p. 66.* adducit, Locu-
stas virulenti cujusdam morsus contagio plantas & fata,
inficere, unde aëris intemperies & putredo existat, nonne
litem pestiferam causare possunt? Si quis itaque ex hisce
nostratibus indicia futuri & belli & luis cum annonæ ca-
ritate, (quæ omnia Deus nobis, cum exceptione tamen
poenitiæ, minitaretur) conjicere vellet, ei nos adeo
contrarii esse nollemus.

QVÆ-

An Locustæ præsentés possint comedi?

Respondemus affirmando, quia pertinent ad munda-
 animalia, quæ Deus populo Israëlitico comedenda
 concessit, vid. *Lev. XI, 21.* habetur enim ibidem propositio
 Major: Quod graditur super quatuor pedibus, & cui sunt
 crura ultra pedes ejus ad salendum in terra, istud come-
 detis. Jam facilè de Locustis potest fieri subsumtio, Ergo
 possunt comedi. *Dicat* aliquis locum huncce Mosaicum
 concedere comedendum animal super quatuor pedibus
 gradiens, Locustas verò nostras (uti & alias à nostris diver-
 sas) habere sex pedes, imò Aristotelem aliosqve Physicos
 Locustis in genere spectatis attribuere senos pedes, sicut et-
 iam ocularis inspectio evincit. Sed *respondetur*, utrumq;
 rectè dici posse, nimirum, quod Locustæ habeant quatuor
 pedes, & etiam quod senos habeant, modò *officium* pedum
 in Locustis accuratis distingvatur limitibus. Pedes enim in
 ipsis ordinati sunt vel ad incessum vel ad saltum: Si primo
 modo spectantur quatuor saltem numerantur, sin verò u-
 troq; modo aut conjunctim pedes, nimirum quia saltum quàm
 incessum sumuntur, sex numerantur; illo modo capiuntur
 in Scriptura, hoc verò ab Aristotele & reliquis Physicis, &
 sic locus Mosaicus avtopsiæ non contradicit. Modum au-
 tem præparandi Locustas edules Mauritanis usurpari soli-
 tum à Judæo Fezzano tradit Illustris Ludolfus I. c. sequen-
 tibus: *Cogvebant eas (Locustas) in aqua, & cum aqua bul-
 liret cum sale conjiciebant eas in aquam & sinebant eas co-
 qvi per horam. Deinde eximebant eas ex aqua, & edebant
 eas cum pipere & sale, & aceto* Plura videantur ibidem,
 cū primis p. 175. Cujus præscripti processus occasione quen-
 dam hic Professorum enchireses suas applicasse, Locustas
 præparasse eosq; simul cum Viro aliquo Illustri feliciter e-
 sitasse


47197
sitasse ipſus Dn. Profeſſor expertus pronuper ſincerè edi-
xit. Dicis: Si comedi poſſunt, quomodo à Deo immitti
in poenam, quomodo annonæ caritatem & famem cauſare
dicuntur? *Reſp.* negando conſeq. nam & aliæ ſunt beſtiæ,
quæ hominibus non leue præſtare valent commodum, v.g.
Leones, Urſi, Cervi &c. tamen à Deo in poenam iis nonnunquam im-
mittuntur; Deinde nec hoc ſequitur: *poſſunt comedi Ergo*
non portendant famem ſaltem ſub hac reſtrictione Major conceden-
da: Quicquid poteſt comedi, illud non portendit famem ſc; *nifi lon-
gè majus paret damnum & incommodum, quàm præſtat commodum:*
inſinities enim majus eſt damnum quod devaſtando fruges homini-
bus inferunt, quam commodum quod Sui comeltione afferunt; ut
ut ne adducamus, quod Locuſtarum eſui Germani non ſint aſſvefa-
cti, & (ſi eſſent aſſvefacti) quod illorum comeltio ſaltim eſſet tempo-
raria, nimirum uſq; ad autumnale non obſtante quod fumo poſſint
condiri.

QVÆSTIO IV.

An Locuſtæ certos in alis geſtent Characteres?


Retulerunt non ita pridem (à 7. Septembr.) Coloniensium No-
vellæ, ſe fama accepiffe, quod Locuſtæ noſtris oris appellentes
certis quibusdam, & quidem lingua exotica, ſint inſignitæ Chara-
cteribus. Sic & ab amico pronuper hac traſeunte relatum acce-
pimus, Virum quendam LL. Orientalium apprimè gnarum Vratis-
laviæ in alis hujus ſpeciei Locuſtarum animadvertiſſe characteres
ex quorum combinatione bina vocabula idiomate Samaritano reſul-
tarent, quæ Latino exprimerent hæc: MORIEMINI ANNONA, hac
fermè ratione, qua Locuſtæ Angliam ante complures annos infe-
ſtantes in alarum altera inſcriptam vocem I. R. A. in altera vocem
D. E. I. habuiſſe dicuntur, citante Joh. Möllero in *Allegor. Profano-
Sacra. part. 1. c. 1.* Quicquid ſit de his, fidem Autoribus relinquimus,
in noſtris Experientia & *avroſia* contrarium teſtatur. Nemini enim
hactenus etiam accuratiſſimè & per microſcopium alas introſpicien-
tium talismodi Characteres propriè dictos, cujus etiam ſint lingvæ
obveniſſe, ſilentio Autorum fide digniſſimorum ſatis certum videtur,

Nos concludimus calidiſſimis rogantes ſuſpiriis (ex 2. Mac-
cab. V.) omnia prodigia velit in bonum verti
Dominus Exercituum.



1077

re cenj
conqu
contigi
annis i
satis q
sacras
Quis n
Quis n
iram, n
midav
norum
dum bo
non por
agmine
runt, fo
positi i
missis ill
revocar
nihil ad
gentibus
perientia
cutere
tura



s fatalis terra
plius notabilis
caelum nostris
ruit tonitruo,
ubente dextra
non horruit?
commotus?
ssimi Judicis
am, non refo-
ovis, qui vici-
bus, sentien-
s & tantum
nostra cofinia
torta irrupe-
diviniq, pro-
esentiarum,
ib calamum
s insecto vel
inc indè fin-
tura & Ex-
st, sinus ex-
qui in Na-
coepto

CAP. I.

U
senti
stere
enim
per l
num
insec
in p
poti
sectu
jore
in m
duct
dica
defi
inqu
qua
que
Ety
anpa
bed
nis
tiqu

